

quidem voluntate propria, sed voluntate alterius; ita etiam rationem peccati habet ex hoc quod per actum alterius inductum est. Sed peccata actualia etiam in actu proprio illius in quo sunt, consistunt: & hoc quidem planum est in his qui per commissionem peccant. Utrum autem in peccato omissionis sit aliquis actus a potentia elicitus, super hoc duplex opinio est. Quidam enim dicunt, quod in peccato omissionis semper oportet aliquem actum esse, per quem aliquis retardatur ab expletionem mandati, vel precepti, sive interiorum voluntatis, ut cum aliquis vult precepto non obedire, sive exteriorum, ut cum aliquis facit aliquem actum per quem ab expletionem precepti impeditur: & ponitur exemplum de illo qui nimis vigilat, & non potest surgere hora debita. Sed ista opinio non videtur necessitatem habere: cum enim voluntas libera sit, nec ad aliquid faciendum, vel non faciendum determinetur; potest hoc modo prætermittere aliquid quod ejus contrarium non velit, nec de ejus contrario cogitet, nec etiam de aliquo alio quod sit per se impedimentum ejus quod facere tenetur: etsi enim aliquid velit quod, quantum est in se, non est impedimentum expletionis precepti, sicut oppositum, constat quod ex hoc quod vult illud, non peccat, quia illud potest esse secundum se licitum; sed peccat in eo quod prætermittit id quod facere debet. Ergo constat quod ille actus vel exterior vel interior per accidens ad peccatum omissionis pertinet; & ita in eo deformitas omissionis non fundatur: nec iterum in actu contrario precepti: quia positum est quod talis actus non sit, cum voluntas possit in neutrum oppositorum ferri, sicut etiam Deus nec vult mala fieri, nec vult mala non fieri. Nec alicui dubium est quod aliquo sic se habente per omissionem peccat, quia juste punitur ex hoc quod preceptum non implet: unde patet quod peccatum omissionis in sola negatione actus debiti consistit. Et hæc est alia opinio. Sed quia opposita idem genus reducuntur ideo ommissio actus, peccati rationem consequitur ex eo quod voluntaria est; sicut & actus voluntarius rationem peccati, & culpæ habet: & huic etiam consonant verba Philopsohi in III. Ethic. c. 1. ubi ostendit negligentiam sciendi, vel faciendi aliquid, juste a legibus puniri, ex hoc quod sicut in potestate hominis est facere aliquid, ita & non facere: unde sicut pro eo quod indebite facit, juste punitur; ita pro eo quod indebite dimittit.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut dictum est, opposita reducuntur in idem genus: in quo vel utrumque est per se, ut patet in contrariis, & relativis; vel unum est per se, & alterum per reductionem, ut patet in privatione, & habitu, & affirmatione, & negatione: unde habitum est in xxviii. distinct. I. Libri ab Augustino, quod in eodem genere est genitus, & non genitus: & ideo in dicto excluditur etiam ommissio dicti, & in facto ommissio facti, & sic de aliis. Non enim hoc habet dictum, in quantum est affirmative dictum, ut sit peccatum; sed in quantum est in voluntatis potestate, a rectitudine finis exiens. In hoc autem convenit cum dicto affirmativo etiam non decere, quod similiter est in potestate voluntatis, & a recto ordine exiens finis.

Ad secundum dicendum, quod peccatum omissionis non est peccatum originale, sed actuale: nec dicitur actuale, quasi in aliquo actu existat, sed quia ad genus actus reducitur, cujus negatio est; sicut Augustinus ingenitum in genere relationis ponit, ut

(1) Al. consisteret.

habitu est in I. Libro dist. xxxviii. & iterum sicut actus est in potestate voluntatis, ita & negatio ejus.

Ad tertium dicendum, quod ommissio non est peccatum nisi secundum quod precepto affirmativo opponitur. Preceptum autem affirmativum obligat semper, sed non ad semper, sed ad aliquod tempus determinatum: & ideo in illo tempore tantum ad quod preceptum affirmativum obligat, aliquis reus omissionis tenetur.

Ad quartum dicendum, quod malum pluribus modis contingere potest quam bonum, ut patet per Dionysium ex iv. cap. de divin. Nomin. & Philosophum in II. Ethic. cap. vii. non enim bonum (1) consistit, nisi omnia quæ ad perfectionem rei exiguntur, conveniant; quodcumque autem eorum subtrahatur, conveniant; ratio mali incidit: & ideo meritum, quod est quasi quoddam iter in finem beatitudinis, esse non potest, nisi sit operatio, & operationis rectitudo; sed sive desit rectitudo in ipsa operatione, sive desit ipsa operatio, erit demeritum, quod est recessus a fine: quod etiam patet in corporalibus: quia locum corporalem nihil acquirit nisi per motum ordinatum in locum illum: potest autem locum illum amittere quod est extra proprium locum, dupliciter; sive non moveatur, sed quiescat; sive moveatur motu indebito.

Ad quintum dicendum, quod ommissio est voluntaria non quasi actu voluntatis in ipsam transeunte; sed quia in voluntatis potestate est actum non facere sicut & facere: & ideo sicut actus dicitur voluntarius, quia est in potestate voluntatis, ita & ommissio actus.

Ad sextum dicendum, quod oportet quod malum semper in bono subsistat; non tamen oportet quod illud bonum in quo malum subsistit sit actus: & ideo dico, quod malum omissionis non fundatur in aliquo actu, sed in potentia, quæ actum producere potest.

ARTICULUS IV.

Utrum in actu exteriori sit peccatum.

1. Ad quartum sic proceditur. Videtur quod peccatum non consistat in actu exteriori. Quia ut in Libro de somn. & vigil. cap. 1. dicitur, cujus est potentia, ejus est actus; & eadem ratione cujus est habitus, ejus est actus. Sed habitus virtutis, vel vitii non est in corpore, sed in anima. Ergo nec actus peccati erit actus corporis, sed animæ.

2. Præterea. Ei qui vitare peccatum non potest, peccatum non est imputandum. Sed sicut gladius non potest vitare quin occidat, motus ab homine; ita etiam manus, vel aliquod membrum non potest vitare quin actum exequatur quem voluntas imperat. Ergo peccatum in actu exteriori membrorum non consistit.

3. Præterea. Actus voluntatis medius est inter actum intellectus, scilicet cogitationem, & actum exteriorum membrorum; & magis unitur voluntati intellectui quam etiam ipsis membris. Sed cogitatio pure speculativa de aliquo, quantumcumque malo, non est peccatum. Ergo multo minus in exteriori actu peccatum erit.

4. Præterea. Illud quo posito, vel remoto, nihilominus est peccatum, non videtur in se deformitatem

rem peccati continere. Sed sive sit actus exterior, sive non, dummodo adsit voluntas completa aliquod malum perpetrandi, peccatum perficitur, & imputatur ad mortem. Ergo actus exterior deformitatem non continet.

5. Præterea. Illud quod est tantum ad manifestationem bonitatis, vel malitiæ, non videtur per se actus malitiæ, vel virtutis esse. Sed ut in X. Ethic. cap. vi. Philosophus innuere videtur, exteriores actus sunt tantum ad manifestationem virtutis, & eadem ratione sunt ad manifestationem vitii. Ergo in actibus exterioribus non consistit peccatum.

Sed contra. Servire peccato est peccare. Sed membra exteriora peccato servire dicuntur, ad Rom. vi. 19. Sicut exhibuistis membra vestra servire inmunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiæ in sanctificationem. Ergo in actu exteriori membrorum peccatum consistit.

Præterea. Nihil prohibetur lege divina nisi peccatum. Sed lex divina non tantum prohibet actus interiores, sed etiam exteriores; adeo ut de his etiam diversa præcepta dentur, ut patet Exod. xx. 14. & 17. Non mæchaberis, & non concupiscas uxorem etc. Ergo non solum in actu interiori, sed etiam exteriori peccatum consistit.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod in omnibus agentibus ordinatis hoc commune est quod id quod est motum ab alio, sicut instrumentum a proprio agente, in actu suo consequitur conditionem primi agentis quantum potest. Cum ergo in omnibus actibus hominis principalitatem obtineat voluntas, eo quod ipsa tamquam liberissima omnes potentias in actus suos inclinet, oportet quod in actibus humanis conditio voluntatis salvetur, in his videlicet qui ad imperium voluntatis fiunt; & inde est quod cum voluntatis sit proprium ut dominium sui actus habeat, hoc etiam in cæteris quæ a voluntate sunt mota, invenitur secundum quod ejus conditionem consequi possunt; potest enim intellectus considerare; & non considerare prout a voluntate est motus; & similiter est de concupiscibili; & hoc usque ad actus exteriores moviæ virtutis extenditur, ut possit homo ambulare, vel non ambulare, loqui, vel non loqui, & sic deinceps. Sed quia in hoc consistit ratio meriti, & demeriti, laudis, & vituperii, quod id bonum, vel malum quod agitur, in potestate agentis est; inde est quod actus voluntatis primo rationem peccati, & culpæ habet; & consequenter alii actus a voluntate imperati; & hoc modo etiam in actibus exterioribus deformitas culpæ consistit. Sed quia actus semper attribuitur primo agenti potius quam instrumento, sicut secare artificii potius quam serræ; ideo quidam considerantes, quod actus a voluntate imperati non habent rationem culpæ nisi a voluntate, dixerunt, peccatum tantum in actu voluntatis interiori esse; alii vero considerantes tam illud in quo primo est ratio culpæ, quam illud in quo secundo est, dixerunt, tam actus interiores, quam exteriores peccata esse; & utrique considerabant peccatum non solum quantum ad illud quod est formale in ipso, unde rationem mali habet, scilicet aversionem; sed etiam quantum ad conversionem, quæ est materiale in peccato. Sed quidam considerantes solum illud quod

In II. Sent. Tom. II. (1) Al. producere.

formale est in peccato, scilicet defectum, unde rationem mali habet, dixerunt, neque actus interiores, neque exteriores peccata esse. Inter quas verior est opinio quæ dicit, quod in utroque sit peccatum: quia plenam considerationem peccati habuit ista opinio, considerans peccatum quantum ad id quod est formale in eo, & quantum ad id quod est materiale; non solum quod primo deformitatem peccati continent, sed etiam quod secundo.

Ad primum ergo dicendum, quod ex habitu virtutis, & vitii informatur substantia actus; unde oportet habitum virtutis, & vitii esse in ratione, ex qua ratio culpæ, & meriti procedit; & non in corpore, quod substantiam actus exequendo ministrat. Veldicendum, quod actus exterior non immediate procedit ab habitu, sed mediante actu interiori; & ideo sequitur quod in actu exteriori non sit primo ratio peccati; sed non sequitur quod nullo modo.

Ad secundum dicendum, quod percutere non est actus manus, sed est actus hominis per manum; actus enim individuum sunt; & ideo culpa manus non imputatur, sed homini, propter actum quem per manum exercuit, qui ab eo vitari potuit.

Ad tertium dicendum, quod virtus prioris est in posteriori; sed non convertitur. Cognitio autem speculativa præcedit actum voluntatis, qui est de actu exteriori; sed actus exterior sequitur actum interiorum voluntatis; & ideo ratio culpæ, quæ primo in actu voluntatis est, transit ex voluntate in actum exteriorem, qui sequitur; non autem in actum cognitionis, qui præcedit.

Ad quartum dicendum, quod primum non dependet ex posteriori, sed a primo causatur posterior; & quia actus voluntatis primo rationem culpæ habet, ideo, etiam exteriori actu cessante, ratio culpæ in actu voluntatis manet. Non autem sequitur ex hoc quod rationem culpæ non possit in exteriorem actum

(1) perducere. Ad quintum dicendum, quod per actus exteriores manifestantur interiores, sicut causæ per effectus; unde sicut effectus participant similitudinem suarum causarum quantum possunt; ita etiam actus exteriores rationem culpæ consequuntur, quæ primo in actibus interioribus invenitur.

ARTICULUS V.

Utrum potentia animæ aliquo modo corrumpatur per peccatum.

De malo quest. 11. art. 11.

1. Ad quintum sic proceditur. Videtur quod per peccatum nulla corruptio in potentiis animæ fiat. Primo per illud quod dicit Dionysius iv. cap. de divin. Nomin. quod data naturalia in Angelis peccantibus integra manent. Sed quod corrumpitur, non est integrum. Cum ergo peccatum hominis non sit majus peccato Angeli, videtur quod etiam in nobis nulla corruptio potentiarum naturalium per peccatum fiat.

2. Præterea. Illud quod corrumpitur, non manet idem specie. Sed homo post peccatum est idem specie qui & ante peccatum fuit. Ergo per peccatum in nullo corrumpitur.

3. Præterea. Nihil corrumpitur nisi per suum contrarium. Sed, ut in I. Physic. text. lxxvii. dicitur,

Xx

tur, subjectum neutri oppositorum contrarium est. Cum ergo potentia animæ sit subjectum culpæ, & virtutis, videtur quod per culpam non corrumpatur. **4.** Præterea. Nihil agit ad sui corruptionem. Sed causa peccati est ipsa anima per potentiam naturalem. Ergo peccatum non corrumpit potentiam naturalem animæ.

5. Præterea. Nulla potentia corrumpitur per hoc quod in actum reducitur. Sed potentia naturalis peccando reducitur in aliquem actum in quem erat in potentia. Ergo per peccatum non corrumpitur, sed perficitur.

6. Præterea. Si per peccatum anima corrumpitur, aut ergo quantum ad esse primum, aut quantum ad esse secundum. Non quantum ad esse primum, quia sic statim homo peccando esse desineret. Si quantum ad esse secundum, hoc totum tollitur per primum peccatum, quod gratiam subtrahit: ergo sequens peccatum nihil in anima corrumpit; & sic non erit commune omni peccato corrumpere naturales potentias animæ.

Sed contra. Nihil efficitur aliud, nisi per hoc quod corruptum est. Sed in IX. Ethic. cap. III. dicit Philosophus, quod homo per actum vitii efficitur non solum alter, sed alius. Ergo peccatum naturam animæ corrumpit.

Præterea. Perfectioni opponitur corruptio. Sed Philosophus dicit (a) in II. Ethic. cap. v. quod homo acquirens virtutem non dicitur alterari, sed perfici. Ergo cum peccatum virtuti opponatur, videtur quod homo peccando non alteretur, sed magis corrumpatur.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod quando aliquid est in potentia ad diversa, hoc contingit dupliciter. Uno modo sic quod utrumque eorum ad quod est in potentia, æqualiter sit debitum ei, & effectivum naturæ ipsius; sicut patet in corpore cælesti, in quo renovantur diversi situs, quorum unus non est sibi magis debitum quam alius; & ideo quando acquiritur aliquem situm de illis pluribus, non simpliciter dicitur perfici; nec quando amittit, corrumpi: quia amittendo unum, acquirit alium æquivalentem; & ideo in tali amissione non est malum: quia supra orbem lunæ malum consistens in defectu naturali, esse non potest: & quasi simile est in corpore, quod est potentia album, & nigrum: & ideo in acquisitione, & amissione talium, proprie est transmutatio, non autem simpliciter perfectio, vel corruptio. Alio modo sic quod alterum eorum simpliciter est debitum ei quod est in potentia ad utrumque, & alterum est indebitum ei; & tunc acquisitio illius quod est debitum sibi, dicitur perfectio ejus, & amissio dicitur corruptio. Verbi gratia, potentia animæ est in potentia ad habitum virtutis, & vitii; sed habitus virtutis est debitum sibi, quia per eum ordinatur in finem proprium; habitus autem vitiosus est indebitus sibi, quia per eum discedit à rectitudine finis proprii; & ideo quando aliquis acquirit virtutem, non dicitur simpliciter esse alteratus; sed magis perfectus.

Ad (1) Al. quando mutatur. (2) Al. agit suam corruptionem.

Ex Edit. P. Nicol. (a) VII. Physic. Quod subjungitur ut ex VII. Physic. & ibi text. xvii. ac deinceps habetur, prius male in ms. ex VI. Physic. & in Gotth. ex VII. Ethic. indicabatur, nec melius hic II. Ethic. & ad marginem, cap. v. sive Græc. lat. IV. ubi tantum dicitur, quod per virtutes & vitia non movemur, sed quodammodo disponimur.

tus, ut in VII. Physic. à text. xvi. usque ad xx. dicitur; & è contra quando habitus vitii in eo acquiritur, dicitur corrumpi, (1) quasi mutatus ab eo quod est sibi conveniens secundum naturam, in id quod est sibi non conveniens, ut quodammodo in aliam naturam transeat: quia in conditionem, & proprietatem alterius naturæ mutatur; sicut qui iracundus efficitur, transit in proprietatem carnis; & ideo Boetius dicit, de Consol. Lib. IV. pros. 111. quod homines dum peccant, naturam hominis quodammodo amittunt, & sic quædam bruta animalia fiunt. Homo enim est illud quod est per rationem; ultima vero perfectio in brutis est secundum partem sensibilem: unde quando homo ab eo quod est conveniens secundum rationem, transit in id quod parti sensitivæ convenit, mutatur à conditione humana in conditionem brutalem; & per hunc modum peccatum, vel culpa, quod in actu consistit, dicitur corrumpere animam, vel potentias, secundum scilicet quod pervertit eam ab ordine rationis per quem in debitum finem dirigebatur.

Ad primum ergo dicendum, quod perfectiones naturales possunt considerari dupliciter: vel quantum ad esse primum; & sic per peccatum non corrumpuntur: manet enim & intellectus, & voluntas, & omnia hujusmodi: vel quantum ad ordinem quo in finem ordinantur; & sic per peccatum corrumpuntur, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod sicut est duplex perfectio, scilicet prima, & secunda; ita etiam est duplex corruptio. Una per quam tollitur perfectio prima, per quam res esse primum habebat; & talis corruptio speciei mutationem facit: sed sic culpa naturam hominis non corrumpit. Alia corruptio est per quam tollitur perfectio secunda, per quam res in esse secundo completo perficitur; & hoc speciem non variat, sed tantum speciei complementum tollit: & hoc modo culpa naturam humanam corrumpit.

Ad tertium dicendum, quod subjectum ad contraria dupliciter potest se habere, ut dictum est, in corp. art. vel ita quod utrumque æqualiter sit debitum sibi; & tunc non magis per unum quam per alterum corrumpitur: vel ita quod unum sit debitum sibi, & alterum indebitum; & tunc per unum simpliciter perficitur, & per alterum simpliciter corrumpitur. Quamvis enim alterum contrarium, per quod corrumpitur, non sit sibi contrarium quantum ad esse primum, quia utriusque contrariorum subjicitur; tamen sibi est contrarium quantum ad esse secundum, in quod subjecti natura ordinatur.

Ad quartum dicendum, quod nihil (2) agit ad suam corruptionem, intendens illam; sed non est inconveniens ut per actionem alicujus sequatur corruptio ejus præter intentionem agentis; & sic per accidens aliquid suæ corruptionis causa est, sicut patet in infirmo, qui comedit nociva, ex quibus mortem incurrit: intendit enim delectationem in cibo; sed præter delectationem sequitur mors: & similiter est in eo qui peccat: intendit enim delectari in opere peccati; sed corruptio animæ præter intentionem ejus sequitur.

Ad (1) Al. quando mutatur. (2) Al. agit suam corruptionem.

Ex Edit. P. Nicol. (a) VII. Physic. Quod subjungitur ut ex VII. Physic. & ibi text. xvii. ac deinceps habetur, prius male in ms. ex VI. Physic. & in Gotth. ex VII. Ethic. indicabatur, nec melius hic II. Ethic. & ad marginem, cap. v. sive Græc. lat. IV. ubi tantum dicitur, quod per virtutes & vitia non movemur, sed quodammodo disponimur.

Ad quintum dicendum, quod potentia non corrumpitur, si reducatur in actum illum ad quem est de se ordinata, & qui est debitus sibi; sed talis actus non est peccatum: & ideo ratio non procedit.

Ad sextum dicendum, quod peccatum corrumpit animam non quantum ad esse primum, sed quantum ad esse secundum. Sed esse secundum potest dupliciter considerari: vel secundum quod est in actu; & sic tollitur per peccatum primum, & non per secundum; sed hoc est per accidens, quia secundum peccatum non invenit ipsum: vel secundum quod est in habitate; & sic, ut ex prius dictis patet, per quodlibet peccatum diminuitur, (3) & tamen nunquam totaliter tollitur.

EXPOSITIO TEXTUS.

Voluntas retinendi, vel consequendi quod justitia vult. Videtur hoc non esse in quolibet peccato commune. Aliquod enim peccatum est quod est ad corrumpendum, & non ad aliquid acquirendum, ut patet in homicidio, & invidia, & hujusmodi. Sed dicendum, quod intentio sive voluntatis, sive naturæ nunquam per se terminatur ad non esse, vel ad corruptionem, sed semper ad aliquid bonum ipsi intendenti; quamvis præter intentionem sequatur malum, vel corruptio, sine qua bonum intentum esse non potest; ut patet in igne, qui intendit formam suam in materiam inducere, ad quam sequitur corruptio aeris: similiter etiam voluntas intendit aliquid bonum ipsi volenti, quod sine corruptione alterius non est, sicut vult quietem suam, quam suspicatur esse non posse sine morte adversarii, vel aliquid hujusmodi.

Voluntas enim, ut superius dictum est, motus animi est. Hic sumitur voluntas pro actu voluntatis, & non pro potentia ipsa.

Non (4) enim consisteret peccatum prævaricationis, si interdictio non fuisset. Verum est, vel legis scriptæ, vel naturaliter inditæ.

Non consistente autem peccato, non solum malitia, sed etiam virtus fortasse non esset. Videtur hoc esse falsum: quia virtus à malitia non dependet, sicut nec bonum à malo. Sed dicendum, quod in sacra Scriptura aliquid dicitur fieri, & esse, quando innotescit; & similiter per oppositum non esse, quando ignotum est: & quia virtus non manifestatur nisi per malitiam oppositam, ideo dicit, quod si non esset peccatum, non esset virtus: & ideo subjungit: *Subsistere, vel eminere non posset.* Sciendum etiam, quod hic *Quid est peccatum nisi prævaricatio legis divinæ, & cælestium inobedientia præceptorum?* debet poni illa notula quæ in superiori distinctione in aliquibus (5) Libris posita est, quæ sic incipit: *Joannes ait, Epist. I. cap. III. 4. Qui facit peccatum, iniquitatem facit.*

Quocirca diversitatis hujusmodi verborum occasione,

DISTINCTIO XXXVI.

Quod quædam simul sunt peccata, & poena peccati; quædam peccata, & causa peccati; alia vero peccata, & causa, & poena peccati.

Sciendum est tamen, quædam sic esse peccata ut sint etiam poenæ peccatorum. Unde Augustinus super illum locum Psalm. LVII. „Supercecidit ignis, & non viderunt solem, ait: Ignis superbia, & in II. Sent. Tom. II.

(3) Al. hæc verba ponebantur initio expositionis textus hac serie. Et tamen nunquam totaliter tollitur voluntas &c. (4) Al. Non consisteret peccatum, sed interdictio &c. (5) Isti Libri quos citat Aquinas, non sunt obviæ, (6) Al. non habebit.

de peccato plurimi diversa senserunt. Ex prima enim diffinitione occasionata est opinio quæ dicit, tam in actu interiori, quam exteriori peccatum consistere; ex secunda vero ejusdem occasionatur alia opinio quæ dicit, peccatum esse tantum in actu voluntatis; ex tertia vero Ambrosii occasionatur alia opinio quæ dicit, solum in privatione peccatum consistere, & non in actu.

Quidam autem diligenter verba Augustini attendentes... non indocte tradunt, voluntatem malam, & actus malos, in quantum sunt... bona esse. Hæc opinio in hoc differt ab illa quam prius posuit: quia hæc loquitur de malo, cujus ratio tantum in privatione consistit; alia vero quam supra posuit, loquebatur de peccato, quod complectitur simul privationem, & actum.

Item probans nihil casu fieri in mundo, ait in eodem &c. Videtur hoc esse falsum: quia omne quod fit ut in minori parte, fit casu. Si igitur nihil fiat casu, nihil erit proveniens ut in minori parte. Sed si nihil sit hujusmodi, omnia ex necessitate contingunt: quia ea quæ sunt frequenter, non deficiunt à necessariis, nisi secundum quod possunt in minori parte deficere, ut in VII. Metaph. habetur.

Sed dicendum, quod effectus proveniens ut in minori parte, potest considerari dupliciter: vel in ordine ad causam proximam, præter cujus intentionem accidit; & sic casuale, vel fortuitum est: vel in ordine ad causam primam, cujus præsentiam nihil præterfugit; & ita casu non fit.

Ad quod dicunt, his atque hujusmodi dictionibus... vere aliqua poni. Ista solutio procedit secundum illam opinionem quæ ponit in peccato omissionis actum esse; sed secundum aliam opinionem solvetur ista objectio, quia privationi qua malum omissionis dicitur malum, substat res bona, scilicet potentia in actu non exiens.

Potest etiam quæri ab eisdem, cum peccatum sit, ut supra dictum est, privatio, vel corruptio boni, & omnis actus malus sit peccatum, utrum sit privatio, vel corruptio boni, in quantum peccatum est, vel non. Hæc objectio sic procedit. In peccato duo sunt, scilicet actus substantia, & malitia. Quod ergo peccatum dicitur corruptio boni, aut habet hoc in quantum est malum, vel in quantum est actus, ex quo bonitatem habet. Si primo modo, cum omnis corruptio boni poena sit; peccatum in eo quod peccatum, vel malum, erit poena, & à Deo: quod est inconveniens. Si autem ex parte actus habeat quod sit corruptio boni, cum actus omnis, in quantum est actus, sit bonum; tunc, in quantum est bonum, (6) habebit quod corrumpat bonum: quod videtur inconveniens. Ergo oportet ut illud quod est in peccato, præter deformitatem, & corruptionem, unde ratio mali causatur, non sit res bona. Sed solvitur per equivocacionem corruptionis, ut in littera patet.